

**Dissertatio medica inauguralis, de tabe mesenterica / Eruditorum examini
subjicit Alexander Crawford, Hibernus.**

Contributors

Crawford, Alexander.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, academiae typographos, 1774.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vtmprk7x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

2

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
TABE MESENTERICA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii,

GULIELMI LEECHMAN, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER CRAWFORD, HIBERNUS.

AD DIEM IV. AUGUSTI,

HORA MERIDIANA, LOCO SOLITO.

GLASGUAE:

IN AEDIBUS ACADEMICIS

EXCUDEBANT ROBERTUS ET ANDREAS FOULIS,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI

M.DCC.LXXIV.

DISSERTATION
IN A U G U S T

TABLE MESSINIERE

ANNUNTIANDO

QUINTIMI LECTURAM

ET COLLEGIUM

AT

AT

THE GREAT

AT

AT

ALEXANDER

AT

AT

GLASGOW

IN

AT

M

PATRI OPTIMO BENIGNISSIMO

MIHI GRATO PIOQUE ANIMO

SEMPER COLENDO,

THOMAE CRAWFORD, V. D. M.

APUD CRUMLIN, IN COMITATU DE ANTRIM

IN HIBERNIA,

HASCE PRIMITIAS STUDIORUM

SUORUM INSCRIPSIT

ALEXANDER CRAWFORD.

PATRI OPTIMO BENIGNISSIMO

MINISTRATO TIBIQUE ARMINO

SEMPER COLENDO,

THOMAS CRAWFORD, A. D. M.

ALSO CUM IN, IN COMITATU DE ANTIEN

IN HIBERNIA,

HABET TRINITIAS STUDIUM

SVOREM INSCRIBIT

ALEXANDER CRAWFORD.

DISSERTATIO MĒDICA

INAUGURALIS,

DE

TABE MESENTERICA.

DUM hac in disquisitione occupatus fuerim, multa impedimenta improvise, sese obtulerunt: haec, ab auctorum inopia de hoc argumento scribentium, praecipue oriuntur; quandoquidem permulti scriptores praeclari, rem omnino praetermiserunt; alii vel leviter attigerunt, vel perfunctorie contrectarunt. His difficultatibus impeditus, non deterritus, hanc disquisitionem, utpote de re spero non inutili, elucidare aggressus sum, quantum pro viribus nostris licuit: et si comprobationem eorum, quorum iudicio subjicitur, mereatur; meipsum cumulate remuneratum, existimabo.

CLASSIFICATIO.

MORBUS de quo agimus a Sauvagesio in classe decima cachecticorum, ord. 1. gen. 1. spec. 9. sub

A

titulo TABIS MESENTERICAE, attingitur: et in gen. 3. atrophiae, spec. 13. sub atrophiae infantilis titulo: morbum hunc sub alterutro horum capitum, non posse recte ordinari, manifesto constabit, nam characteres utrique in ejus progressu et gradibus variis, ei congruerent. Primo atrophiae character, multo melius quadraret, quum febris eum non comitatur. Sed, morbo aliquamdiu perdurante, lenta febris plerumque subsequitur; quo tempore tabis character ei melius conveniret. Revera, specierum plerique, sub hoc genere dispositarum, tantum symptomati esse videantur; et generis character nihil est, praeter distinctionem gradus illius quam morbus in ejus progressu obtinuit.

Multo rectius ab eo ad speciem quartam generis vigesimi primi Scrophulae, sub titulo Scrophulae Mesentericae refertur: siquidem glandularum mesentericarum affectio est scrophulosa; atque macies, &c. tantum symptomata sunt indicantia has esse obstructas.

Sed hic objectio oriatur; cum non recte ordinari posse, ut speciem sub hoc genere, secundum leges nosologicas, quia character omnimodo non ei con-

gruit. e. g. Aliquando accidit, tumorem labiorum superiorum nullum esse, neque affectionem ullam colli glandularum. Sed hoc incommodo non obstante, ex dissectionibus et tota hujus morbi historia, affectionem esse scrophulosam constabit; et ergo videtur rectius sub scrophula, quam sub ullo alio genere disponi.

HISTORIA MORBI.

HAEC atrophiam a glandulis mesentericis obstructis oriens, scriptoribus antiquis non in totum est praetermissa. Forestus quod mirabile est, non videtur in hunc morbum incidisse: sed ex aliis scriptoribus loca plura allegat, qui perspicue de eo loquuntur. e. g. ‘ Fernelius de morbida mesenteria differens, sic profatur, Ego tamen hoc affirmo et profiteor, cholerae melancholiae diarrhoeae, dysenteriae, caehexiae, atrophiae, languoris lentarum errantiumque febrium, latentium denique morborum causas, me in his plerumque sedibus animadvertisse.

Symptomata praecipua, quae in hoc morbo occurrunt hic breviter recensentur; de quibus inter omnes qui de eo scripserunt convenit. Forestus ci-

tationem habet aliam a Benevenio quae ad rem optime pertinet. 'De morborum causis abditis sic scribens, Petrus Aldimanus filium habuit, qui cum octavum jam ageret annum, in corruptum incedit appetitum, quo calculos ruderaque comedens, in lentam tandem febriculam devenit, indeque, procedente tempore, et ventriculus non continere et venter fluere caepit, adeoque duobus his malis vexatus est puer, ut paucis etiam diebus, e vita discesserit; hujus nos, cum annuente patre, emortuum corpus incidissemus, repertus est callus inter venas quas mesaraicas appellant, a quo cum venae ipsae adeo obstruerentur omnes, ut ferri inde sanguis ultra non posset, necesse fuit puerum e vita migrare,' Beneven. cap. 37. Senertus etiam satis copiose disserit, de phaenomenis a mesenteriae obstructionibus oriundis in lib. 3. De Morb. Mesent. sed horum auctorum nemo, haec phaenomena, causae genuinae nativae, nempe affectioni scrophulosaе latenti attribuit.

Hoffmannus, Stahl, et Ruffel hunc morbum fusius explicarunt; sed scrophulosaе affectioni glandularum mesentericarum plerumque non ascribunt; et

hi medici celeberrimi, non dignati sunt morbum hunc tractare quatenus momentum et utilitas ejus merito postulant: quia tam saepe occurrit, et tanta discrimine stipatur, ut mirabile videatur a systematicis optimis vel omnino praetermissus vel tam leviter pertractatus.—Operam ergo dabimus, hanc quaestionem utilissimam, quanta cura in nobis est evolvere.

Hunc morbum esse infantilem, infantes circiter septennes vel octennes invadentem, inter omnes convenit. Morbo instante, totum corpus emacescit, nulla causa manifesta praegrediente. Subsequitur faciei pallor, corporis totius debilitas et languor, quae in articulis praecipue sentiuntur: tussis aliquantum cum respirandi difficultate saepenumero accidit: abdomen fere tensum et sine fluctuatione tumidum, doloribus pungentibus interturbatum; si abdomen non tumefactum, tumores inaequales tactu creberrime percipiuntur: appetitus irregularis aliquandoque addephagia cum pica, seu frigidorum et rerum contra naturam appetentia comitatus; aliquando inappetentia, nausea, vomitus, digestio pra-

va, lienteria, diarrhoea, faeces albae, cum faecum
factore insolito, urina modo crassa, modo rubra.

Febris lenta, noctu calor cum siccitate et siti in-
extinguibili. Frigent extrema, mane, palpebrarum
livor apparet, quid multa? cum corporibus deflo-
rescunt animi, omnia in pejora ruunt, et exitus evin-
cit, neque ullam esse aut magno, aut parvo lethi fu-
gam.

Post mortem, viscera inveniuntur infarcta, glan-
dulae mesentericae tumidae, et nonnullae matura-
tae. Dissectioni infantis circiter octennis adfui,
(apud valetudinarium Edinburgense) qui hoc morbo
mortuus est. Glandulae mesentericae fere omnes
obstructae, aliae maturatae, aliae scirrhosae: lien
scirrhosus et plurimum amplificatus fuit; et tuber-
cula nonnulla in pulmonibus extiterunt.

Symptomatibus variis, quae a medicis accuratio-
ribus de hoc morbo notata sunt, enumeratis; nunc
animadvertendum haec phaenomena in eadem per-
sona nunquam omnia dari; aliis in aliis, et vice
versa occurrentibus. Nihilominus tabe, atrophia,
aliisque symptomatibus, diligentissime observatis,

raro hic morbus medicum peritum fallat. Sed haec non hujus loci.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

INFANTES circiter septennes aut octennes, huic morbo maxime obnoxii sunt, qui vitio scrophuloso, a parentibus transmissio contaminantur; in hac aetate et temperamento, tenera solidae compagis conformatio, plerumque obtinet: hinc musculorum actio erit invalida; vis elastica diminuta; vasa tenera humoribus distendentibus, facile cedunt. Unde sanguis erit pallidus et aquosus, et caehexia et glandularum obstructions, ingruent.

Porro, inter dentitionem et pubertatem, natura sua instrumenta adhibendo, animalis accretione in promovenda occupatur. Tenera et delicata corporis conformatio, post dentitionem nonnihil immutatur; infans, alimentis diversis vescitur: aliquantulum exercitii indulgetur, et in aëra frigidum abducitur; glandulae adiposae a musculis premuntur, quorum vis et soliditas aliquanto augetur, vasculis apud superficiem corporis constrictis, exitus humoribus negatur; et fluxu a capite cessante; humores

glandulas interiores petiuros manifestum est. Hinc cahexia et obstructiones. Praeterea scrophula, vasa potissimum lymphatica invadit; horum pars major, in glandulis mesentericis continetur; et hinc in labe scrophulosa, hae glandulae praecipue afficiuntur: hoc quoque experientia confirmatur; nam mortuis ex scrophula, glandulae mesentericae semper vitatae reperiuntur.

Sauvagesius observavit, infantes e scortis prognatos, vel ex iis qui syphili imperite tractata laborarunt, huic morbo maxime obnoxios esse. His solidae compagis conformatio tam tenera et invalida est, ut vel minima labe scrophulosa, a parentibus transmissa, periculum morbi hujus infert.

CAUSAE OCCASIONALES.

CULLENUS celeberrimus, hunc morbum rubeolas subsequi observavit; unde exanthemata hujusmodi intulit, scrophulam latentem excitare posse.

In aegro supra memorato, cui tabes mesenterica, morti fuit, rubeola hunc morbum antecesserant, eique originem praebuisse videntur.

Eruptionum harum effectus, in affectione scrophulosa, de quo agimus inducenda, materiae morbificae acrimonia, glandulas intestinales irritante, oriri verisimile est. Ex colicis diarrhoeis, et morbis caeteris internis, eruptiones cuticulares, a summo corpore repulfas, subsequenter, patet, glandulas intestinales propensiores esse, humores a cute transmissos recipere.

Quaecunque causa perspirationem obstruit, morbo huic praebet ansam; nam aditu ad superficiem corporis impedito, humores, interiora petent, et in glandulis intestinalibus accumulati erunt.

Praeterea virum strumofum perspirando continuo exhalari, verisimile videtur, organis perspiratoriis haud impeditis, et aequilibrio fluidorum et solidorum servato, ab hoc morbo immunitatem frui posse: sed perspiratione obstructa, et viro in corpore accumulato, morbus in affectionibus strumosis glandularum conglobatarum exstabit; nam in aetate tenera hae glandulae, ad fluxiones sunt propensiores parte quavis alia, et hinc aër frigidus in corpus aestuans, actus, tabi mesentericae occasionem saepenumero praebuit.

Omne quod corpus debile, et solidarum contexturam teneriorem reddit, hanc tabem inducet: cubacula callidiora; exercitii idonei in aëre aperto, privatio; tempora et loca humidiora, fibras in aëre madido quasi macerantia: et hinc incolae Britanniae, et regionum septentrionalium Europae, morbis strumosis admodum obnoxii sunt; ex nutricum vitio et nimia parentum indulgentia, tabis futurae fundamentum, in cunabulis saepe positum est; etenim quum tempestatum variationibus gradatim affuesci debet, infantem saepe deprehendes vestitu obrutum, sudore et cubiculorum aestu debilitatum, et frequenter a mamma, tempore proprio non depulsum: hinc viscera, lacte acri laedantur, et humores omnes acescunt: tormina, diarrhoea, dejectiones crudae et acidae, et paroxysmi epileptici symptomati, saepissime subsequuntur. Infans dolore et aegritudine perturbatur: ad tranquillitatem sibimet ipsi et alumno parandam, nutrix diacodium, vel laudanum affatim praebet: dum usu haud infolito opiorum, chylus vitiatur, et constitutio, hac ratione debilis et delicata redditur; glandulae a natura articulos emollire designatae intumescunt; ossium

capita augmentur, et totum systema glandularum obfruitur. Denique, quodcunque solidae compagis contexturam debiliorem reddit; quod humoribus acrimoniam infert, et quod fluxiones ad glandulas interiores movet, huic morbo occasionem praebet.

C A U S A P R O X I M A.

TABES mesenterica a diversis causis, ab auctoribus oriri dicitur, e. g. spissitudine tunicae villosae intestinorum eo usque aucta, ut absorptio et transmissio chyli impeditae essent: vermibus intestina irritantibus, et voratione chyli, corporis nutritionem exhaurientibus; fascinationi, et causis etiam pluribus aliis hic morbus ascribitur.

Tunicam intestinorum villosam adeo spiffescere ut corpus nutritione destitutum sit, perraro accidit; Junkerus qui tabem mesentericam huic causae attribuit, argumento nullo ex dissectionibus petito rem ita se habere demonstrat: neque quovis alio scriptore, haec ratio confirmatur.

Haud constat, an vermes, corporis nutritionem exhauriendo, aliasve morbum in intestinis concitando, atrophiam inducant.

Atrophia Junkeri verminosa, nihil aliud est, praeter atrophiam ex mesenterio obstructo ortam aegro saepe vermibus etiam laborante: unde vermes in canali intestinali respirant atque nutrimentum capiunt, statuere difficile est: eos chylo potius quam fluido quovis alio vesci, verisimile videtur; sed chylus quando mesenterium obstruitur, in intestinis accumulatus, vermes alet atque fovet. Hi ergo qui mesenterii obstructionibus laborant, vermibus obnoxii sunt.

Hoc ita se habere, experientia constat. Nam quam plurimi eorum in infantibus, tabe mesenterica affectis, reperti sunt. Sed non tantum hoc morbo laborantibus superveniunt: in sanitate etiam occurrunt: et munia aliqua necessaria in oeconomia animali obire existimantur, perniciofa quaedam in intestinis vel primis viis devorando.

Haec atrophia, a causa nulla manifesta antevadente, gradibus tam lentis progreditur, ut haud mirandum est, fascinationi eam vulgo tribui. Sed mirabile videtur quod homines doctissimi, Nenter et Junker, fascinationem inter atrophiae causas enumerarent; neque hujus loci, nec hodie, hanc

opinionem refellere, necessarium est. Causae aliae plurimae a scriptoribus sunt allatae, quae hypotheticae videntur, adeoque praetermittendas arbitramur.

Nunc causas investigare quae hunc morbum revera producere videntur, festinat oratio. Et ex tota morbi historia, affectionem esse scrophulosam glandularum mesentericarum apparet: vasa chylum et lympham, in ductum thoracicum deferentia, obstruuntur; unde macies aliaque symptomata supra enumerata. Haec ita se habere, ex dissectionibus variis et medicorum accuratiorum testimonio constat: quibus omnibus, hunc morbum in glandulis mesentericis insidere patet. Hae enim semper obstructae reperiuntur, tumidae scirrhosae, in tantum ut ad officium a natura destinatum, inutiles redduntur. Glandulas has, affectionibus scrophulosis obnoxias esse, apparet ex dissectionibus illorum, qui pthisi scrophulosa in aetate provectiori emortui fuerunt. Hae glandulae enim semper plus minus morbidae reperiuntur; quamvis non forsan eo usque, uti aegrum sine pulmonum partiumve aliarum affectionibus, morti darent. Neque mirandum si glandulae

mesentericae, quae tantam systematis lymphatici portionem tenent, scrophulae obnoxiae essent; quandoquidem scrophula morbus est, systemati illi proprius: sed qua ratione hoc solum systema, morbis strumosis pronum sit, expedire perdifficile est; quia usum lymphaticorum in oeconomia animali ignoramus; absorptionem atque exhalationem generatim, necessarias esse patet: sed quare humores ita exhalati, non a venis illico absorpti sunt, et alius vasorum ordo paratur, eos in contrarium deducere, adeo ut non ad sanguinem feruntur, usque dum chylo novo commisti sunt, nosmet nescire fatendum. Anne necessaria sit lympham, vitium aliquod corrigere, vel novam aliquam qualitatem chylo afferre non nostrum est dicere: ideoque ut naturam atque usum lymphaticorum ignoramus, sequitur, naturam quoque hujus morbi ignorari. Lympham acrimonia insolita affici verisimile est: sed num haec acrimonia, est degeneratio fluidorum spontanea, an a vitio quovis ex corporis totius conformatione pendet, non liquet: sententia posterior veritati propius accedere videtur; quia scrophula est morbus haereditarius, forte nascendi proveniens. Sed

morbi haereditarii vel viro quodam latente, prolem a parentibus transmissio propagantur, ut in lue venerea; vel ex corporis totius conformatione congenita nativa oriuntur: sic pthifin pulmonalem saepissime, a thoracis figura et conformatione originem trahere, nemo est qui dubitat. Hoc posito, manifestum est, scrophulam non viro latente, jure haereditario transmissio, propagari, quia hoc virus liberis non omnibus cujuscunque temperamenti transmittitur. Sed in familia ubi alter parentum scrophula laborat, liberi qui similitudine illius et complexionem gaudent, huic morbo obnoxii sunt; et vice versa. Scrophula ergo, a totius solidae compagis conformatione oriundus, morbus est: et si acrimonia quaevis insolita accessit, haec acrimonia, distributione, motu et actione partium solidarum in fluida generatur, et potius effectum quam causam audire deberet.

Denique hic morbus nequaquam contagiosus est, ut illi sunt qui fermento propagantur.

Quibus omnibus, causam proximam tabis mesentericae, ex corporis totius conformatione nativa, a parentibus ad prolem transmissio exori et non ex fermento viroso in corpore latente apparet.

DISCRIMINA MORBI.

HAEC species scrophulae, a scrophula vulgari distinguenda: quod pueritia huic morbo maxime subiecta est; differt etiam in corporis partibus affectis; scrophula vulgaris in glandulis colli, columna nasi, aut labio superiori, sedem habet haec in glandulis mesentericis; in hac pallidus et rugosus est vultus, in illa saepe floridus et turgidus.

Inter eam et phthisin pulmonalem facile disjudicatu est: nam lateris vel pectoris dolores, decubitus difficilis, fluxus faciei sanguineus et sputum purulentum perraro huic morbo superveniunt; infantes praeterea invadit tabes mesenterica; adultos phthisis.

Hic morbus, cum vermibus saepissime stipatur, ideoque ne fallamur affectum pro causa ponendo, sedulo cavendum est; aliter in aegrum infundentur medicinae acres, huic morbo nequaquam accommodatae. Si diligentissime perscrutemur, scrophulae indicia quaedam plerumque invenientur, nonnulli tumores colli leves, vel signa externa alia exstant. Nullo signo externo apparente, difficillime

hic morbus dignoscitur; si ita res se habuerit, curam quam maximam adhibendo, vel labe hereditaria, vel corporis conformatione delicata, cutis levitate, capillorum albitudine juncta; vel abdominis inferioris affectione quadam, detegi poterit morbus.

R A T I O S Y M P T O M A T U M.

Uti vas, chylum aliaque fluida in corporis nutritionem deferentia, glandulas mesenterii trajiciunt, si causa quavis hae obstruantur; corpus nutrimento solito destitutum, in tabem seu marcorem necessario incidet.

Symptoma aliud huic morbo saepenumero superveniens, est diarrhoea; cujus haec ratio reddenda est; Si adeo obstruitur mesenterium, ut non solum chyli sed etiam aliorum fluidorum, hac via transeuntium, transmissio fuerit impedita; haec fluida intestinis congesta, a glandulis obstructis communicata irritatione, coacervatorumque fluidorum pondere, lavatione alvi dejiciuntur; et hinc diarrhoea; quinetiam tonum ventriculi, et intestinorum, permultum esse diminutum, ab mesenteri et aliorum

viscerum statu impedito fatis probabile est; unde causa alia cur alvi proluvie vexarentur.

Sed saepe accidit, diarrhoeam nullam supervenire: alvus natura descendit et faeces consistentiam habent idoneam. Hoc accurate observandum est, ne si hujusmodi symptomata cum morbo necessario connexa arbitremur, nosmet ipsos fefellerimus. Diarrhoeam quandoque nullam adesse, sic explicandum est: licet glandulae mesentericae magna ex parte obstructae sunt; attamen obstructio non est universalis; nam si omnes obstruerentur, tota nutrimenti privatione effectum fatalem fore, et vitam multis diebus subsistere non posse manifestum est. Sed in hoc statu corporis mesenterium ex parte sanum esse, constat; adeo ut tenuissimis fluidis, aditus adhuc patet, et chylo aliquatenus pervium fit; non autem, ut corporis extenuatio impediretur. Cullenus Cl. dicit, se tabis mesentericae exempla vidisse, diarrhoea nulla interveniente quibus mesenterium totum non obstructum esse apparebat; et quum aeger potum largius hauserit, urinam proportionalem reddebat.

Appetitum esse inaequalem, fame modo cruciari

ægrum, modo fastidio cibi laborare, ab auctoribus sæpiissime notatum est: phaenomena hæc sic explicanda. Status appetitus, cum organis perspirationis, nexum habet arctissimum et eo magis excitatur, quo illa vacua redduntur; e. g. deambulando vel equitando placide in coelo aperto, perspiratio insensibilis augetur et stomachus acuitur; vel quibuscunque modis, perspirationis vasa stimulantur; iisdem modis, appetentiam cibi excitandam, omnibus notum sit: quamobrem, mesenterio obstructo, ex defectu nutrimenti, vasa extrema cito exhauriuntur, collabuntur, et ingluvies edendi sequitur: sed tandem universa debilitate superveniente, latrare definit stomachus, et fastidium cibi succedit.

Quoad appetentiam frigidorum aliorumque contra naturam, a Hoff. Stahl, et aliis notatam; hæc raro occurrit: et solutionem phaenomeni huiusmodi certam dare, difficillimum est: illustrandi vero gratia aliquid adferre conemur; hoc subita irregulari inaequalique vis nervosae determinatione causatum, systematis nervosi mere affectum esse credimus: cuius generis nonnihil in extremis multorum morborum gradibus, ante mortem sæpe obser-

vare licet, in his praefertim ubi debilitas maxime valet, ut in febribus, cum aegrotum in extremis vitae momentis, cibum voraciter summaque voracitate devorantem, videre perfrequens est: hoc subito cerebri molimine, ut his partibus extinctas jam prope vires restitueret, causatum existimamus, et hujus impetus ergo, haud parvo exoritur excitatio sed propter corporis nimiam debilitatem non diu manet, et collapsus cito subsequitur contrarius.

In statu chloroso hoc clarius perspicitur, ubi appetitus hic singularis semper fere praevalet; cujusque nulla alia reddenda est ratio, quam ex conatu cerebri enormi, ad partibus restituendum tonum amissum; hocce ergo desiderium innaturale, cum in his, tum in morbo, de quo nunc agitur, ab iisdem causis ortum ducere, et nervosi systematis denique affectum esse arbitramur.

Abdomen tumidum, symptoma est ab auctoribus omnibus observatum. Haec distensio, ex glandularum mesentericarum tumore, vel ex lienis aliorumque abdominis viscerum magnitudine aucta, pendere non videtur: nam harum glandularum et viscerum tumor, nunquam eo usque augetur, ut abdominis

totius distensionem hanc efficeret : quia post mortem, viscera et glandulas plurimum amplificari repertae fuerunt ; et nihilominus dum vita remanserit, abdominis dilatatio externa nulla apparuit.

Revera haec dilatatio, a totius abdominis distensione flatulenta, tono intestinorum perduto provenire apparet.

Viscera hac atonia laborare, ex diarrhoea et lienteria manifesto constat ; praeterea abdominis distensio a chylo stagnante oriri videtur ; nam chylum in machina pneumatica exhausta scrutatum, liquorem flatulentissimum esse apparet, et in intestinis a diu stagnante fermentatio quaedam subsequitur, exinde aëre soluto, abdomen distenditur.

Interdum neque abdomen videtur tumefactum, nec nodus aut tumor conspicitur : sed quamvis symptomata haec minime apparent, non inde sequitur aegrum a morbo immunem esse : nam post mortem mesenterium tuberculis oblitum, inventum fuit. Haec tubercula autem, in membranarum convolutionibus adeo involuta, ut aegro vivente, non tactu perciperentur.

Postremo, pauca de statu febris, hunc morbum comitantis dicenda.

Haec affectio nulla mutatione sensibili in corporis habitu effecta, diu existere potest: ratio est, organa huic morbo obnoxia, inflammare aut suppurare non sunt proclivia: et quamdiu abest inflammatio, febris hectica supervenire non potest; sed ut plurima ulceratio ab initio occurrit, tabis mesentericae speciem, hic morbus induit; attamen febris hecticae absentia tabem abesse non arguit.—Cullenus aegrum quendam, hac tabe laborantem observavit, et tamen febris non supervenerit, donec morti approximavit; sectoque cadavere, exulceratio nulla apparuit. Febris ex debilitate plerumque orta fit, et per saepe huic causae tribuenda est.

P R O G N O S I S.

JUDICIUM eventus, ratione temporis quo morbo laboravit aeger, vique symptomatum aestimandum est. Si brevi tempore tantum duraverit morbus; si levis sit macies, sine febricula; si aeger non multum debilitetur; si munus ventriculi, secundum naturam.

peragatur, et si alvi dejectiones nec frequentissimae nec peralbidae sint, tunc perpaucas mesenterii glandulas obstructas existimandum est, et felix rerum exitus sperandus.

Contra, si diutius exstiterit morbus, cum febre lenta, nocturnis sudoribus, languore, lassitudine, inappetentia, et aliis debilitatis signis comitatus; si frequentes ventris dejectiones albidae cum torminibus accedunt, incertum quo res casura sit et mors pertimescenda.

METHODUS MEDENDI.

MAGNUM ab hoc morbo periculum vitae imminere, eumque artis medicae plerumque vim superare, experientia constat; nihilominus autem iniquum esset, a medendi consilio abstinere; si ex viginti unus fervetur bene erit opera impensa, homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus dando.

Indicationes generales ad haec duo capita referuntur.

I. Systema lymphaticum detergere.

II. Debilitati obviam ire.

Indicatio prima ad usum ducit

1. Aquarum mineralium.

2. Aquae marinae.

Quod ad priorem attinet, efficacia aquarum mineralium in morbis strumosis sublevandis experientia universali patet. Vix aqua mineralis in Europa datur, quae non scrophula medenda célebris: unde apparet, aquis mineralibus tam variis fossilibus impregnatis, vim medicatricem in morbis strumosis, a systematis lymphatici lotionem provenire: aqua in corporis vascula omnia penetrat, et vim habet magnam in secretionibus excrementitiis promovendis. Nihilominus putandum eam, a minerum impregnationibus quibusdam, vim salutiferam quatenus adscire.

Aquam marinam quinetiam a recentiorum observatione et usu, constat in morbis strumosis curandis medicamentum esse saluberrimum: quod Ruffel in tractatu de usu aquae marinae, argumentis haud dubitandis, ab experientia desumptis, confirmavit. Aphorismus vigesimus octavus, apprimè ad rem pertinet. Macies febrisque hectica, cum a vitio alimentari proveniunt marina plerumque aqua

fugari solent; multisque locis aliis, utilitatem aquae marinae in obstructionibus intestinorum memorat.

Cullenus etiam eruditissimus, infantes per plures, qui tabe mesenterica laborabant, aquae marinae usu, ad integritatem restitutos, cognovit.

Aegrum ad mare iturum, praesertim si debilis, et procul absit, non necesse videtur, nam qui quadraginta millia passuum mari distant, tantum ex aqua marina utilitatis capiant, quantum maris accolae; quia tot fluvii ubique in mare prolabantur, ut cura non adhibita, saepe leviter impregnata aqua invenietur. Atque ideo, vel eo usque a littore desumere- tur, ut aqua fluviali incommixta sit; vel aestu acc- tuante, horae spatium a refluxu, ex ea parte fluenti capiatur quae rapidissime immittitur. Nam ita com- parata, erit tam pura quam per oram; et in am- pullas bene occlusas immissa, per mensem et diutius incorrupta fervetur. Quantitas et repetitio propor- tionales esse deberent, ad aegri vires: sed si fieri po- terit, haustus nunquam in tantum augeatur ut al- vum cieret; nam sic tubus alimentarius tantum ab- hueretur: at praestet eam in sanguinem accipi, uti

totum systema lymphaticum detergeret. Quantitas nequaquam accurate definiri potest, sed periculum ex nimia quantitate evitare, et asperitati gustum ledenti obviam ire, aquam marinam portione aequali aquae fontanae miscendam esse censemus. Praeterea hoc modo fitis, alias tam molesta, non superveniet: et licet aqua marina impregnari copiose deberet; at tamen hanc dilutionem semper adhiberemus; nam verisimillimum videtur, curationem magna ex parte, a vi medicatrici aquae elementariae provenire: in usum aegrorum debiliorum et pauperum a mare procul habitantium, Cullenus vice aquae marinae, aquam factitiam substituit; et tabem mesentericam saepenumero feliciter tractatam ope hujus remedii vidit. Ab experimentis accuratissimis scientissimi Doctoris Irvini in rebus medicis et chemicis plane apparet libras triginta duas aquae marinae, unam marini libram, et circiter semunciam salis vulgo Epsom dicti in se continere. Hoc dato medicamentum utilitate par et ab aqua marina haud dignoscendum facillime componi potest. Aegrum tamen si sine incommodo et periculo fieri poterit ad ipsum mare

perduceremus; ut et aër purus tenuisque exercitiis corporis junctus ad sanitatem plurimum adferre possit.

DEBILITATI OBVIAM IRE, USU

1. Corticis Peruviani.
2. Balnei frigidi.
3. Preparationum chalybis aliorumque preparationum metallicorum.
4. Exercitationis.

Corticem peruvianum plurimum conducere ad solidorum debilitatem corroborandam, nemini latet, saepissime in scrophula permagno usui fuit. Ideoque auxilio fore tabe mesenterica laborantibus, si doses ad vires aegrorum proportionatae exhibeantur probabile est.

Balneum maris frigidum a Ruffel laudatum est; sed non ejus utum suadet, donec obstructiones internis remediis aliquantulum allevatae sint vel ex parte sublatae. Sed post evacuationes debitas, et obstructiones aliquantulum imminutas, balneum frigidum multum prodest: nam sanguis, inquit Ruffel, in cerebrum atque viscera subvolat, et secretiones spirituum animalium aliorumque humorum, promovenda

tur; ideoque glandulis deterfis, caufae internae morbi fublevantur. Balneum frigidum plurimum prodeffe ad tonum folidorum redintegrandum, omnibus notum eft: fed hic cura etiam quam maxima, ne fluxiones in glandulas internas augeantur adhibenda eft.

Quando balneum frigidum inire expedit, Cortex Peruvianus apte adjungi poterit; fed neutrum horum aquae marinae ufum fuperfedere deberet.

Preparationes chalybis aliquando adhibentur, at fi glandulae ad inflammationem tendunt, praefertim fi pulmones irritentur, noceant: invenimus aquam in qua ferrum fervidum extinctum eft, multum Sauvagefio collaudatam.

Exercitium corporis, vel in equo vel vehiculo, in hoc morbo nequaquam negligendum eft, pofterius tamen optimum credimus, quo concuffio motufque afperitas ad obftructiones ubicunque fitas refolvendas aptius videntur: fed in hoc viribus aegroti confulendum eft.

Navigatio quoque ut fluida corporis fuperficiem dirigit, in hoc morbo ufui erit permagno et aliis exercitii generibus merito praefertur, quod in eo aeger

longius durare possit. Vid. Gilchrist de usu cursus maritimi.

Remedia praecipua quae in hoc morbo usui sint, et quae ad indicationes generales referantur, jam attigimus.

Medicamenta duo ad nullam indicationem specialem pertinentia adhuc restant, nempe cicuta et tussilago: horum utraque in scrophula vulgari magno usui fuerint: sed prout in tabe meseuterica nunquam exhibita fuerunt, nihil de iis certo concludi poterit; at morbi natura et causis accurate observatis, et medicamentis perite adhibitis multum utilitatis hic quoque afferre possent.

Quod ad regimen, dietam ex lacte et farinacea praeparatam, saluberrimum censemus; ab unoquoque abstinendum, quod ad inflammationem glandularum promovendam tendit, calore nimio caute evitato.

F I N I S.

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..

... ..



